



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XXII. De virtute humana, quæ perfecta & εἰς appellatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

esse istos detestandos, & à nobis communique hominum natura magis alienos, quàm vitiosos. Atq; hæc de Heroica virtute: sequitur, vt de humana dicamus, quæ, vti supra docuimus, duplex est, perfecta nimirù, aut imperfecta. Et de perfecta quidem prius.



CAP. XXII.

De virtute humana, quæ perfecta
& *αρετή* appellatur.

HUMANAM virtutem vocamus, quæ ab illo summo & tam excellenti perfectionis gradu, de quo diximus, differt, & in communi hominum, quæ & boni & probi appellantur, natura & sorte spectanda est, quam *αρετή* Græci appellant. Quæmadmodum autem Stoici duo genera officiorum constituunt, vnum perfectum, illi *κατὰ δυνάμειν* dicunt, quod in solum sapientem cadit: alterum autem medium & commune, *κατὰ συνήθειαν* illi, quod in communi hominum vita versatur: sic nos humanæ huius virtutis duos quosdam gradus distingui oportere dicimus. Aut enim eò vsque progressa esse statuitur vis illa contentiõque animi nostri à Spiritu sancto indita, vt omnem affectionis virtuti contrariæ impetum extinxerit in nobis: aut non est progressa eò vsque, sed in eo tantùm gradu totus conatus animi nostri (qui & ipse à Deo nobis infusus est) substi-

tit, vt in agendo bono opere, luctam adhuc & pugnam cum repugnante & aduersante virtuti impetu & affectu sustineamus. Prior igitur ille gradus, humana quidem, sed perfecta virtus appellatur. Posterior autem, imperfecta. Prior ille vocatur, definiturque esse *ἔξις*, id est, habitus. Posterior autem ignobiliori & illaudabiliori nomine *ἐγκράτεια* tantum, id est, continentia dicitur. Vterque tamen gradus *ἀρετῆς*, & virtutis appellatione decoratus, quanquam non pariratione. Solus enim primus ille perfectusque gradus proprie *Ἀρετῆ* cēsetur à Philosophis. Perfectam autem virtutem hīc dico, non cum animi statum, qui plenum & omnium virtutum numero constantem chorum habeat, cuique nulla virtus omnino desit (quāquam inter se connexas esse virtutes plerique ferē omnes fatentur) sed perfectionem virtutis hīc cogito in singulis virtutibus, nimirū ex modo & agendi, & inherendi in nobis, statum illum animi, qui non pugnat cum contrario illi virtuti (cuius opus agimus) vitio: adeò vt qui vel vnā tantum virtutem ex omnibus per modum *ἔξις* habet, is perfectam illam virtutem habere dici possit, quanquam reliquas nondum sit consequutus. Est enim hic modus, qui *ἔξις* appellatur, summus bonæ vel malæ animi nostri constitutionis gradus, qui cadere in nos possit. Est igitur *ἔξις*, siue habitus animi (qua voce etiam Scriptura Heb. 5. v. 14. vsa est) impressa animis nostris qualitas siue affectio tanta, quæ vix aut ne vix quidem postea deleri potest, affertque ad idem in perpetuum agendū non tantum animi propensionē & alacritatem,
sed

sed determinatū penitus voluntatis nostræ motum & desiderium. Ergo est habitus confirmata quædam cōstitutio animi, siue ex diuturna quædam agendi assuefactione comparata, vt quidā volūt: siue potius à Dei Spiritu (nā de virtutib⁹ agimus) indita, ita tenax illa quidem, & in eam tantū partem propensa, in quam semel ita assueuit: semp̄rque in eam se ferens & sp̄tanea. Vnde fit, vt ~~est~~ altera quædam natura in nobis & sit, & merito appelleretur. Vix enim amitti potest, neque etiam contrariæ affectionis rationes vel motus admittit, ac ne audit quidem, quia prorsus sepulta est in nobis sic dispositis vis cōtrarij huic dispositioni animi affectus. Vna igitur illa affectio & inclinatio in nobis iam regnū tenet, & potentissimè atque efficacissimè in nobis dominatur, nos inflectit, atque ad se totos allicit. Ergo in quibus huiusmodi virtutis habitus inest, illi proculdubio vim vitii amplius non sentiunt, sed prorsus ad honestas illius virtutis actiones agendas feruntur, totaque animi & voluntatis sponte ac impetu. Sic igitur Aristoteles libro 2. cap. 4. Ethic. Quæ ex virtute fiunt, illa in primis in ipso operante tria requirunt, primū vt sciens is agat, qui agit: deinde, vt volens atque delectu habito, eligensque illud, vt bonum fit, agere. Tertium, vt firmè constantèrque faciat quod facit. Sic enim dispositum atque affectum animo esse oportet, qui ex virtutis alicuius habitu aliquid agit & operatur. Qui autem vitii habitum sibi compararunt (est enim duplex habitus, nimirum vel bonus, id est, virtutis, vel malus, id est, vitii) illi nullos virtutis & repu-

n. ij.

gnantis vitio voluntatis aculeos amplius sentiunt: sed sibi vel longa consuetudine, vel voluptatis illecebris victi, tanquam callum quendam malè agendi iam obdlexerunt, qui virtutis huic suo vitio repugnantis sensum omnem extinxit. Ergo ii sunt, de quibus Lactantius, *quos quum boni & mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur ut peccent, quia deest illis virtus, id est cupiditas recta & honesta faciendi.* Ex quo quanta sit in vtranque partem vis huius animi constitutio nis, qui Habitus appellatur, facile iam perspicere possit, utque verè perfectam inter homines virtutem nacti dici debeant, qui ad hunc tam excellentem gradum semel peruenierunt, si qui tamen possent peruenire. Sed nulli possunt, quia peccati vis & fomes inest in nobis, etiam perfectissimis, quandiu hinc viuimus, quemadmodum docet Scriptura, Roman. 7. & nos antea prolixè disputauimus. Et quia habitus est animi qualitas & habitudo, ab iis quæ ratione fiunt, suscepta atque contracta, certè in brutis esse dici non potest: quia præter ea, quæ nobis natura insunt, comparatum atque de nouo acquisitum quiddam est habitus iste. Censent etiam eum in Angelis esse minimè posse, etsi ratione vtantur, quia quicquid perfectum in illis inest, illud naturam insitum, non industriam comparatum esse volunt. Sed de iis quæ ad homines, non autè ad Angelos pertinèt, hoc loco disputamus. Sed & diuersa illa habituum genera omittimus, quæ ab aliis afferuntur: ut alij acquisiti, alij naturales, alij denique infusi dicuntur. Ergo huiusmodi tamque absoluta hæc virtus est, quæ *istis* appellatur,

tur, vt in nullo mortali homine (vno modò excepto Christo) vnquam vel fuerit, vel sit, vel etiam futura sit, quandiu hic rerum & mundi status durabit, quicquid contrà Philosophi prophanè rixosè contendant. Nam in carne hac nostra tam altè habitat peccatum, atque radicè egit, vt de carne nostra reipsa & omnino demi & abstergi non possit: manet enim semper carnis concupiscentia in nobis, quæ illi animi affectui tam conformi Dei voluntati planè repugnat: & vt sæpe ipsa concupiscentia non vincat, certè cum Dei Spiritu semper luctatur acerrimè atque dimicat, adeò vt illud certamen, de quo meminit Paulus Galat. 3. optimi quique in sese quotidie, etiam in singulis honestis actionibus suscipiendis, experiantur. In futura igitur vita demum eueniet, & erit in nobis, quemadmodum Paulus 1. Corinth. 15. versu 56. ait, quum nimirum peccati vis omnis atque stimulus tollatur. Huic autem virtuti & habitui cõtraria est ea animi constitutio, quam Græci *κακία* vocat, M. autem Tullius Vitiositatem conuertit, quæ est animi nostri promptissima, & tanquam iam inueterata ad peruersè agendum habitudo, id est, vel naturâ ipsa, vel longis iteratisque actionibus ita confirmata, vt omnem contrarij honestique affectus sensum in nobis extinxerit, atque sepelierit. Itaque qui vitiosi nominantur, nihil nisi lubentissimè peccare possunt, maximè in eo facti genere, in quo iã habitum illum vitiosum, callumque contraxerunt. Neque enim inflecti possunt, nisi omnino difficillimè: neq; dũ peccant, vllam aduersantis illi suo vitio virtutis pun. iij.

gnam sentiunt: sed toti præcipitesque in illud scelus sponte feruntur. Huiusmodi qualitas & animi affectio atque turpitude ferè in omnibus reprobis inest: quanuis perfecta virtus in nullis etiam Dei electis insit. Denique nullum est genus vitij tam tetri, tamque horrendi, cuius etiã electorum ingenium, & voluntas ipsa per se nõ sit capax: imò est capax omnium vitiorũ simul. Nulla autem tam est necessaria virtus, quam hinc perfecte assequamur. Cuius rei rationem (nam vulgare illud est, Contraria circa idem subiectũ fieri & versari nata sunt, atque ferè perspiciuntur) si quis requirat, nimirum, cur quanuis inter nos mortales multi sunt κακοί, & planè vitiosi, ex vera vitij & κακίας definitione: nulli tamen inter nos sint σπουδαίοι, & virtutem perfecte adepti (si modò virtus, quatenus εἶς est, definiatur) huius, si quis, inquam, tantę diversitatis rationem querat, hæc profectò est. Quòd natura humana, qualis hinc est, propter legem atque conditione, quam ipsa sibi per peccatum accersivit, atq; imposuit, tam scelicè, beatum, perfectumque statũ assequi nunquam potest, vt omnem vitij atque peccati fomitem hinc exuat: id quod veræ virtutis definitio requirit. Eadem tamen natura nostra nunc tam deprauata est, tamque in malum præceps & prava, vt eam nihil, nisi peccatũ atque turpitude ipsa delectet, in quo ipso veram vitij & κακίας definitionem positã esse diximus. Mutari quidem, atque ad integram sanitatem reduci post hanc vitam homo poterit: sed nunc non potest, quia in hoc mundi statu à Deo regnum datum est peccato. Hanc hominibus
pœnam,

poenam, iusto quidem suo iudicio, Deus inflixit, qui se peccato scientes lubentésque, creati ut in hoc mundo essent & viverent, manciparunt: ut illi quoque eos mancipatos, perseverare in hoc mundo oporteat. Hanc enim sibi necessitatē & legem miseri illi imposuerunt, dum à Deo ad Satanam: à vita ad mortem: à luce ad tenebras: à prima & nativa iustitia ad scelus sponte deflectunt in hoc mundo. Itaque mundum ipsum, & homines ipsos, & carnis nostrę statum atque conditionē immutari prius oportet, quàm illa peccati seruitute & potestate, cui se in hoc mundo addixerunt, homines liberentur, & quàm in illis non habitet amplius peccatum. Quòd quandiu inhabitat in illis virtus, perfectā esse nō potest. Potest autem vitium, quia tanta labes atque corruptio nostrę naturę superuenit, acciditque ut virtutis. i. verę iustitię voluntatem homo prorsus amiserit: omnis autem iniustitię atque rebellionis, & semē fecundissimum, & effectum fecidissimum idem peccando accepit. Contraria autem ea demum circa idem inesse possunt, & nata sunt, quorum alterum nobis non inhæret natura. Quum enim eorum alterum inest naturā, extrudī omnino non potest, veluti si quis natura vel claudus, vel cæcus, vel gibbosus nascitur, ab iis corporis vitiis liberari prorsus nequit, atque in contrarium corporis statum integrè restitui. Atque hoc ipsum quod dicimus, non Dei quidem impotentia aut culpa vlla accidit in nobis, sed certā lege ab eo ipso sapienter iustęque propter peccatum nobis imposita, ut quanta sit, quàmque altè inhæreat peccati & defe-

tionis nostræ turpitude & fomes sentiamus,
De quo ipso iam antea satis diximus.



CAP. XXIII.

De virtute humana, quæ imperfecta, siue
ἐγκράτεια vocatur, & de contra-
rio illi vitio.

EST autem, ut de eo virtutis hu-
manæ gradu, in quo imperfecta vir-
tus perspicitur, neque peruenit ad
summū illud culmen & victoriæ fa-
stigiū, per quam omnis cum vitiosis affectibus
lucta in nobis sopita est: super est, inquam, de eo
gradu atque de ea virtutis humanæ specie dice-
re. Illa verò *ἐγκράτεια* dicitur, vulgò Latinis
Continentia (fortasse melius, atque ad præsen-
tem questionem accommodatius, si Luctantem
virtutem dicere placuerit) qua voce Paulus v-
sus videtur, Actorum 24. versu 25. I. Corinth. 9.
versu 25. Est igitur hic mediū quidam status in-
ter eos, qui perfectè virtutem assequuti sunt, &
eos, qui omnino ac planè vitio sese dederunt.
Nam inter *σπουδαίους*, id est, Virtuosos (si modò
ita loqui fas est) atque vitiosos mediū sunt in-
terpositi *ἐγκρατεῖς* siue *ἐγκρατεύοντες*: item *ἀκρατεῖς*.
Hi autem sunt qui pro virtutibus contra vitia lu-
ctantur adhuc, neque adhuc penitus peccati
vim in sese domitam sentiunt, vel vigorem vir-
tutis extinctū in animo suo prorsus non habēt.
Qui